

56 XIII. DE FRID. SVED. GOTH. ET VAND. &c.

gratia, cum PATRIAE PATRE AVGVSTO ET CLEMENTISSIMO, nobis simul omnibus impertiri dignata est, humillima deuotione et anniuersaria religione expendamus. Non superstitione antiquitatis ritu, quo Deos sibi frustra persuadebant amicos reddere atque propitos, thure meroque litabimus genium: sed priuatae et publicae felicitatis auctorem laudabimus, gratulationes conferemus decentes, applausus, calidissima suspiria, vt FRIDERICO REGI, OPTIMO PRINCIPI, omnium Amori, omnium Delicio, rerum nostrarum vnicō Statori, perennis et propria sit hodierna felicitas; vt ipsi eueniant, quaecunque a Deo salutaria proficiisci possunt; vt, postquam immortalis Dei bonitas, quam impensē veneramur, nostra nobis commoda tantique muneric fructus largiri, et hucusque tueri clementissime voluit; huius in nos amoris sui memor, REGEM seruare, atque intra plurimorum annorum confirmatam felicitatem, hunc tam exoptatum, hunc rebus nostris tam salutarem diem auspicato reducere dignetur. Eum in finem tunc sacra publice fient: et inclutae huius Academiae auctoritate et iussu, vi officiī simul atque pietatis instinctu, ego in auditorio maiori, ad horam diei X. panegyrica oratione, vtinam decenti facundia, *cum Principis incolmitate coniunctione reip. salutem* praedicabo. Ad hunc TANTI PRINCIPIS celebrandum natalem, ad haec pro PATRIAE PATRIS CLEMENTISSIMI incolumitate nostraque communi salute suscipienda pariter atque soluenda vota, ad solemnem audiendam publico nomine dicentis orationem, omnes et singulos, quibus summa sui magistratus gloria, tot regionum laudanda felicitas, et communis omnium, in primis vero huius Academiae laetitia grata videtur esse et accepta, Proceres, Fautores, Commilitones, Ciues, omnium ordinum honoratissimos, qua fieri potest, animi contentione et humanitate, vocamus atque in uitamus. Rintelii P. P. pridie Non. Maii cl<sup>o</sup> locc xxxi.

XIV.